

1495.

1306 d. 5 Febr.

Kon. BIRGERUS vidimation och stadfästelse på Biskop Brynolfs i Skara bref om gårdarne Gingrin, Soleryd och Hand.

A. 3. 8.

BIRGERUS dei gracia sweorum gothorum que Rex. Omnibus presentes litteras inspecturis, salutem in domino sempiternam Notum facimus vniuersis nos vidisse ac diligenter perspexisse litteras venerabilis patris Dominij bryniulphi dei gracia episcopi skarensis non rasas, non abollitas nec in aliqua sui parte viciatas, continentes in hunc modum. Vniuersis &c. *Se föregående N:o 1062.* Nos igitur collacionem, possessionis tradicionem, et Dominij ac proprietatis translacionem predicta ratificantes, ipsa sicut rite et legitime facta sunt, in hiis scriptis actoritate regia confirmamus. In cuius rei euidentiam pleniorum sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum anno Dominij M<sup>o</sup>, CCC<sup>o</sup>, sexto. nonas februarij.

*På fränsidan:* super gingrini solæryder et hand.  
Sigillet bortfallet från den ur brefvet klippta remsan.

1496.

1306 d. 9 Febr.

Stockholm.

Marsken THORKEL KNUTSSONS Testamente, hvarigenom jordagods och penningar anordnas till kloster och kyrkor, och gården Gum till hans hustru, så länge hon i Sverige lefver enka.

J. 3: 118.

In nomine patris et filij et Spiritus Sancti amen. Ego THYRGILLUS KNUTSON quondam Domini Bergeri Diuina prouidentia Sueorum Gothorumque Regis illustris Marskalkus sentiens contra me latam sententiam Regiæ maiestatis, vt conquerentibus de me faceret iusticiæ complementum. De eiusdem tamen domini mei beneuolentia, et pietate confisus plurimum et eius benignitati et gratiæ, quantum ad præsens seculum spectat. humiliter et penitus me submittens. quantum serenitas. magnificentia suæ permiserit. testamentum meum condo et ordino in hunc modum. In primis fratribus minoribus in Stocholm. apud quos ecclesiasticam in Domino eligo sepulturam, lego curiam meam Thyll. cum omnibus attinentijs. pro vino, oblatiis, cera, Oleo, et alijs ad diuinum cultum pertinentibus. procurandis. Item Ecclesiæ Vpsalensi. curiam meam in Gestringia. quæ dicitur insula Item Ecclesiæ Arosiensi curiam meam Mulhammår. Item Ecclesiæ in Strångenås curiam meam Jdō Item Ecclesiæ Skarensi curiam meam Haldia. Item Ecclesiæ lincopensi curiam meam Skinnarydh Hanc tamen conditionem seruari volo, quo ad curias supradictas cum omnibus attinentijs ut ad eos vsus seruitij Diuini deputentur quos ve-

nerabiles patres Ecclesiarum Episcopi predictarum insimul conuenientes, cum alijs executoribus mei testamenti Deo iudicaverint magis gratos. Jtem cuilibet loco seu monasterio religiosorum vel religiosarum. Regni Suetiæ lego quinque marcas denariorum, illis exceptis. quibus plus confero. Jtem Cuilibet hospitali Regni Suetiæ quinque marcas den. Jtem Sororibus Sanctæ Claræ in Stocholm lego decem marcas den. Jtem Ecclesiæ Stocholmensi quinque marcas den. Sacerdoti ibidem tres marcas den. Jtem domui Sancti Spiritus in Stocholm lego quinque marcas den. Domui Sancti Spiritus Vpsalensi quinque marcas den. Jtem Cuilibet Ecclesiæ in qua bona habeo, lego vnum solidum terræ assignandum. de prædio incolarum curiarum mearum, si quos in illa parochia habeo. Sin autem prædictvs solidus terræ ex ipsis curijs meis assignetur Jtem cuilibet Sacerdoti in cuius parochia bona habeo, lego marcam den. Jtem dilectæ vxori meæ confero Curiam meam Gum. quamdiu in Regno Suetiæ voluerit commorari. et in statu viduitatis perseuerare. Si vero ipsam matrimonium legitime contrahere contigerit volo vt predicta curia hæredibus meis deputetur. Vt autem huius testamenti mei ordinatio obtineat roboris firmitatem. clementissimo principi Domino meo B. Dei gratia Sueorum Gothorumque Regi supplico humiliter ex intimo cordis mei. Quatenus memmor seruitij si quod feci. et condonans offensam, qua offendi, motus visceribus pietatis et benignitatis solitæ autoritatem præbeat et tutelam prædictæ ordinationi, meæ vltimæ voluntatis Cui etiam humiliter supplico, Vt huius testamenti mei executor dignetur existere, vna cum venerabilibus Patribus et Dominis Episcopis Scarensi Lyncopensi Strenginensi et Arosiensi et Domino Folcone Joonson et Domino Gutmaro et Domino Petro Liquisson et Cristierno Aduocato Stocholmensi quod si quam firmitatem optineat. De mera reputo gratia Domini mei Regis. Vt autem legata in hoc testamento, et debita mea alia facilius possint solui. et iniuste per me a quibuscumque ablata restitui. omnia bona mea propria, alia a prædictis executoribus meis assigno. humiliter supplicando, vt vnicuique quod iusticia exigit reddere studeant sine mora. et pro hoc specialiter rogo Christiernum aduocatum Stocholmensem. vt cum scitu Domini mei Regis et aliorum executorum satisfieri faciat propter Deum. Ad huius autem testamenti mei euidenciam pleniorum Sigilla Domini Folconis Jonson Christierni Aduocati Stocholmensis. Communitatis Villæ Stocholmensis et Conuentus fratrum minorum ibidem præsentibus sunt appensa. Datum Stocholm Anno Domini M CCC. Sexto. Quinto Idus Februarij.